

**Dissertatio anatomico-medica inauguralis de ventriculi fabrica et usu ... /
submittit Petrus Imchoor.**

Contributors

Imchoor, Petrus.
Albinus, Bernhard Siegfried, 1697-1770.

Publication/Creation

Lugduni Batavorum : Apud Georgium Wishoff, 1738.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/ybudhez7>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO
ANATOMICO-MEDICA INAUGURALIS
DE
VENTRICULI FABRICA ET USU.

QUAM,

ANNUENTE DEO TER. OPT. MAX.

Ex Auctoritate Magnifici Rectoris,

D. BERNARDI SIEGFRIED ALBINI,

MEDICINÆ DOCTORIS ANATOMES ET CHIRURGIÆ
IN ACADEMIA LUGDUNO BATAVA PROFESSORIS
ORDINARIJ,
NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu,
& Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto,

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis
ritè ac legitimè consequendis,

Publico ac solemnì examini submittit

PETRUS IMCHOOR, Rotterodamo Batavus.

Ad diem 30. Octobris 1738. hora locoque solitis.

LUGDUNI BATAVORUM,
Apud GEORGIUM WISHOFF. 1738.

DISSERTATIO
ANATOMICO-MEDICA IN URINA

VENTRICULI TABRICA ET USU.

R. O. M.

ANNUENTE PRO TER. OCT. MAX.

Dr. Johann Baptist Kuhn

JOHANN BAPTIST KUHNI

PHYSICUS, DOCTORIS ANATOMIE ET CHIRURGIAE
IN ACADEMIA LUDWIGI BATAVA PROFESSOR

GRADUATUS

NEC NON

PHYSICUS, DOCTORIS ANATOMIE ET CHIRURGIAE

IN ACADEMIA LUDWIGI BATAVA PROFESSOR

PRO GRADU DOCTORATUS

Submissum in Academia Ludovici Batavae et Lipsiae

non se legitime contentum

Publica a Ludovico Ludovico

PETRI MICHOE, Historiam Bataviam

Ab anno 30. Octobris 1732. sub auspicio

LUDWIGI BATAVAE

PHYSICUS, DOCTORIS ANATOMIE ET CHIRURGIAE

VIRO INTEGERRIMO

D. JOHANNI IMCHOR,
CHIRURGO PRACTICO APUD ROTTERODA-
MENSES, UT ET NOBILISSIMI COLLEGII AR-
CHITHALASSICI, QUOD IBIDEM COLLIGI-
TUR, PER MULTOS ANNOS, PERITISSIMO,
FELICISSIMO.

PARENTI OPTIMO, INDULGENTISSIMO, O-
MNI FILIALI AMORE, ET OBSEQUIO AD RO-
GUM USQUE PROSEQUENDO, CELEBRAN-
DO.

*Hasce studiorum suorum primitias:
eâ, qua decet, animi reverentia
offert & consecrat*

PETRUS IMCHOR.

VIRI INTEGRISIMO

JOHANNI MICHO

CHORO. PRAETICO ANNO NOTITIA
MENES, UT ET NOTITIA COLLEGE
CHITTAASSICI, QUOD INDICEM COLLEGE
TUR, PER MULTOS ANOS, PERITISSIMO

PERITISSIMO, PERITISSIMO, PERITISSIMO
PARENTI OPTIMO, INDICENTISSIMO, O
MINI VITALIAVORE, ET OPTIMO AD RO
GUM LEGUM PROSECUTIO, CERTA

DO

PERITISSIMO



D I S S E R T A T I O
ANATOMICO-MEDICA INAUGURALIS

D E
VENTRICULI FABRICA ET USU.

§. I.



Corpus humanum variis difficultatibus esse obnoxium, quotidiana constat experientia; imo, vel sanissimum, actionibus suis, deterendo solida, dissipando fluida, se ipsum destruit, hinc, ut quædam maneat stabilitas, necessario aliunde opus habet, quo damnum suum resarciat. Notum est, id ipsi præbere alimenta; sed & hæc, ut bonum, nostroque corpori salubre, evadant nutrimentum, necesse habent varias successive in corpore subire mutationes, quas uno verbo *χυλοποιησιν* vocant Medici. Actio hæc adeo mihi non displicuit, ut, quum de materia quadam dissertationis cogitarem, partem ejus haud exiguam ventriculi nempe fabricam & usum, pro Themate hocce Inaugurali exponendam susceperim, L. B. humanissime rogans, ut, si forte in hacce dissertatione humani quid passus fuerim, tironi in arte æqui bonique consulatis: & sola hac spe fretus rem aggredior.

§. II. Ventriculus vocatur receptaculum membranaceum, esculentis præsertim ac potulentis recipiendis, retinendis, mutandis, expellendis denique destinatum.

§. III. Unicus in homine fere semper invenitur, paucis forte iisque rarissimis casibus exceptis, sic refert Riolanus, semel atque iterum videre sibi licuisse geminum ventriculum ex homine desumptum, ita, ut parvum veluti ostiolum mediam inter binos ventriculos distinctionem faceret. In brutis secundum naturam longe aliter sese res habet, nam, ut de avibus nihil dicam, in ruminantibus & cornigeris animalibus, quemadmodum in bubus; ovibus, &c. quatuor distincti, ventriculi inveniuntur, quorum singuli suum habeat nomen, primus enim venter primus, secundus reticulum, tertius omasus, quartus Abomasus vocantur auctoribus. (a)

§. IV. Figuram quod attinet, hanc veteres non incongrue utriculo lusorio comparaverunt; sed ventriculi figuram accuratius expendenti patebit, eam esse rotundam, à sinistro in dextrum oblongam, ita, ut maxima ejus capacitas sit in parte sinistra, ubi multo amplior, rotundior, magisque ad inferiora prominulus conspicitur, vocaturque ejus fundus; hinc progrediendo dextrorsum sensim sensimque angustior fit, lunato fere ductu in superiore sua regione, donec tandem in fine incurvus parum posteriora versus in pyloro desinat.

Notat Willisius orificio ejus dextro pyloro dicto adjacere antrum longum & capax, in quod massæ chylosæ portio magis elaborata secedere, inibique manere queat, donec pars crudior, ut nuperius ingesta in ventriculi fundo plus digeratur, quod tamen affirmante Verheyeno non in omnibus æque conspicuum reperitur.

Ab anteriori parte æquabiliter undique gibbus apparet ventriculus, nullis vel saltem minus notabilibus eminentiis distinctus; sed in posteriori sua regione binas protuberantias demon-

(a) Ruysch. Th. 9. n. 17.

& Joh. Jacob. Peyer. Obs. 35.

monstrat, quarum sinistra major, magis protuberat, minor dextra magisque depressa est. Inter has sinus quidam ventriculi sedi posteriori impressus est, vel potius sinus ille facit, ut a lateribus binæ illæ eminentiæ assurgant: Ventriculus enim sibi subjecta habet corpora vertebrarum, secundum quæ etiam trunci venarum, & præsertim arteriæ magnæ decurrunt, hinc, ut sedi, quam sortitus est ventriculus, melius se accommodet, posterius ejus latus introrsum quasi ad suam cavitationem nonnihil introprimitur, unde eminentiæ illæ à lateribus. (b)

Interim ventriculus corpore exemptus, flatuque aliquantum distentus hujusmodi sinum non demonstrat, hinc neque eminentias à lateribus, utpote quia totum latus æquabiliter undique flatu distenditur.

s. V. In ventriculo porro considerata veniunt bina ejus orificia, quorum alterum majus, magisque elevatum sinistrum est æsophago continuatum, per quod ingesta intra ventriculum depelluntur; Æsophagus enim, ubi per foramen oblongum, quod in carnea parte lateris sinistri diaphragmatis factum est, extra thoracem decurrit, statim expandens se facit ventriculum; notandum hic est, quod superius illud orificium non perfecte in parte sinistra ventriculi habeatur, cum ad tertiam fere longitudinis ventriculi partem situm sit, ita, ut magnus quasi sacculus versus sinistrum hypochondrium relinquatur, hocque præsertim pulchre apparet quando ventriculus cibis turgidus occurrit in cadavere.

Ubi autem diaphragma æsophagum transmittit, fibræ carneæ ex utroque medio capite diaphragmatis venientes decussant se, ita ut fibræ, quæ ex sinistro capite veniebant, decurrant per dextrum foraminis marginem, quæ autem e dextro, per sinistrum, sicque circum ambientes æsophagum rursus concurrunt ad superiorem marginis angulum, ubi fere juxta tendinis diaphragmatis medium iterum se decussant. (c) patet

(b) Vesal. lib. 5. fig. 15. lit. M, N. O.

(c) Verheyen Lib. 1. tab. 18. fig. 5.

tet hinc quam clarissime puto, quod stomachum mox supra ventriculum constringere possint, sicque sphincteris munere fungi.

Alterum ventriculi orificium, *πυλωρ* Græcis, Latinis janitor dictum (propterea quod cibos in cremorem mutatos ad intestina transmittat) in dextra ventriculi parte consistit, situ paulo inferius est quam sinistrum, tamen altius longe, quam ut ingesta non mutata sola suâ gravitate per illud elabi possint; quum enim potissima chilificationis pars in ventriculo absolvi deberet, provida natura fecit fundum ejus capaciores, magisque depressum, ut alimenta ibi collecta melius in cremorem mutarentur, sicque mutata, fluidiora prius, dein crassiora, ipsius ventriculi vi & actione postmodum exponenda, in intestina propellerentur.

Porro in utroque hocce orificio interno observatur protuberans quædam substantia, membranacea fere, vel singularis sibi propria, (d) per ambitum quasi utriusque orificii interni, instar circuli vel annuli, enata (e), Celeb. Heysterus valvulam pylori vocavit ac figuram dedit (f); apparet fere, ac si duodenum intestinum ex ipso ventriculo interiori, sive pyloro quodammodo enasceretur, quum tamen extus nihil hujusmodi appareat.

Substantia hæc forte hunc habet usum nimirum ut reddat orificia robustiora ac densiora, quam reliquum ventriculi corpus, ne à transeuntium impetu divellantur, præsertim quando grandior bolus, vel infortuito quædam deglutita fuere, quæ in ventriculo dissolvi nequeunt. Deinde quum orificia ventriculi constringuntur, etiam interventu hujus enatæ substantiæ latera magis connivent, sicque citius arctiusque clauduntur, quum cæterum orificia rotundiora sola fibrarum contractione plenarie vix obturantur.

Porro ad pylorum impedire potest, ne crassiores ciborum partes

(d) Boerh. instit. Med. §. 83.

(e) Vesal. lib. 5. fig. 16. litt. h. k.

(f) Vid. tab. 1. fig. 6.

partes, minus adhuc mutatae vel emulsaе, simul cum fluidissimis, jamque in cineritiam materiem reductis in duodenum intestinum expellantur, quod certissime obtinere videtur.

§. VI. Magnitudo ventriculi, sive capacitas varia admodum est in variis hominibus, neque ex proceritate vel mole corporis capacitas ejus determinari potest, quum parvæ staturæ homines capacissimum sæpe exhibuerint ventriculum, attamen gigantea illa fœmina, quam Ruyschius dissecuit, (g) etiam exhibuit stomachum progidiosæ magnitudinis pro mole corporis, hinc neque fœminis semper minor contingit, quàm viris. In cadaveribus aliquando adeo inanitus & contractus occurrit, ut nullum fere intus supersit ejus cavum, & prima specie crassum carnosumque intestinum referat, quale exemplum ante aliquot annos in cadavere fœminæ, non magnæ staturæ, & laxæ satis, ut, videbatur, temperiei, vidisse memini.

Prostant autem exempla ventriculi capacissimi multa satis, sic Celebris Spigelius memorat ventriculi, qui quatuordecim aquæ libras continere poterat. Et Clariss. Plempius secuit cadaver hominis, cujus ventriculus capiebat novem pintas vinarie. forte minia & quotidiana ingurgitatione cibi & potus ventriculus præter naturam ita distenditur, hinc in edonibus & strenuis potatoribus longe major ejus foret capacitas, quam in illis, qui frugaliorem vivunt vitam.

§. VII. Situm ventriculi quod attinet, collocatur statim sub diaphragmate medius inter hepar & lienem, non tamen perfecte medium corporis occupat, nam majore fundi sui parte ad sinistrum vergit hypochondrium; quâ parte autem stomacho continuatur, immediate tangit diaphragma, in dextro vero latere tota sua superiore ac posteriore parte intra concavam hepatis partem delitescit, ac tantum à septo transverso ibi abscedit, quanta jecoris hoc in loco est crassities; sinistra vero ipsius regioni lien accumbit, eique annectitur ope membranæ

(g) Vid. Th. ix. n^o. 62. litt. A.

branæ, vasis sanguineis ditatæ, quæ vasa breviter dicuntur (h); à posteriori parte vertebrae habet, simulque subtus decurrentem aortam, unde ipsi quidam quasi sinus imprimitur (i), porro qua duodenum post ventriculum descendit, pancreas ei supponitur, ac denique inferiori sua parte mesenterio adjacet. Certe situs hic ventriculo commodissimus videtur in epigastrio, ne ossa ipsi multum obstant, quando cibus repletur, hinc forte minus recte inquiritur, quare non propius ad fauces fuerit locatus, quum inde cibos accipere deberet? sed certe organa vitalia, cor scilicet & pulmones ibi locari debebant, quibus sine dubio impedimento fuisset, si propius appositus fuisset; adde quod jam obtineat locum totius corporis calidissimum, quum medius ponatur inter cor statim supra diaphragma positum, hepar, lienem, aortam, pancreas, mesenterium, quæ certe viscera sanguine refertissima sunt, & calor hic maxime requirebatur, ad concoctionem ciborum perficiendam.

§. VIII. Ut nexus ventriculi exponatur necesse erit paulo altius rem repetere, ut sic videamus, quomodo ab œsophago dependeat. Æsophagus itaque, qui veteribus stomachus dictus, est canalis membranaceus ingesta à faucibus excipiens & ad ventriculum deducens. Tubus hic cum faucibus connexus juxta vertebrae per collum & thoracem descendit, & septum transversum, eo quo supra dixi modo, perforans, ad undecimam thoracis vertebrae sinistro ventriculi orificio implantatur sive potius huc progressus expandens se ab it in ventriculum, qui hoc in loco ab œsophago quasi dependet & in situ suo retinetur, eique porro multum confert membrana ejus externa, deinceps describenda, quam habet à peritonæo, cujus præcipuus usus est omnia abdominis viscera, continere ita, ut unum quodque viscus sede sua fixum maneat. Ulterius, dextrum ventriculi orificium, sive pylorus, per ligamenta quædam seu propaggines aliquas peritonæi cavæ hepatis parti alligatur, sicque in situ suo retinetur perfecte, ita ut orificium

(h) Rhysch. Th. 8. no. 33. not. 2.

(i) Vid. §, IV. hujus Dissert.

cium ejus semper sursum elevatum teneatur.

§. IX. Præmissa hæcenus externarum fere partium ventriculi descriptione, ordo videtur exigere ut propriam ejus structuram præsertim tunicas sive membranas ejus accuratius paulo extricemus. Certum est ventriculum ex distinctis membranis constare, quæ juxta Willisium quatuor numerantur: commodius forte dividuntur in communem externam à peritonæo, quod æque ac ventriculum, reliqua abdominis viscera investit, & in proprias tres, musculosam sc. nervosam & villosam internam, quibus deinde Celeberrimus Ruyschius cellulosa suam adjecit; sed videamus accuratius singularum constructionem.

§. X. Tunica itaque ventriculi interna, quam veteres pro concreta quadam materie habebant, hinc crustam, dixere, tenuis valde, tamen densa satis, continua ubique & ab aliis distincta plane, membrana est, apparetque continuatio ejusdem membranae, quæ os, fauces, œsophagum investiens deinde per ventriculum protrahitur, mutata forte parum ejus natura, hæc itaque ventriculum intus conficit, ac limites ejus ponit. Tunica hæc parte sua interna villosa est, hoc est filamentis oblita instar panni serici, qui velutus dicitur; hoc pulchre experimento patet, quando ventriculus animalis cujusdam, præsentim hominis violenta morte extincti, ponatur in aqua tepida, omnes illi villi assurgentes in aqua in conspectum prodeunt, qui si leniter premantur, roridus quidam succus provenit, unde patet, non esse nisi canalium vel vasorum extrema, quæ, in hac membrana, aperta terminantur.

Præter modo dicta etiam pori innumeri, (k), in hac membrana conspiciuntur; sic & interstitia cellulosa quadrangularia, (l), quæ tamen, ipso Ruyschio teste, in ruminantium stomachis melius reperiuntur. ambit porro hanc tunicam internam alia quadam sc.

§. XI. Nervosa, non quod tota ex nervis constet, forte melius

(k) Rhysch. th. 10. no. 141. th. 2, tab. 5. fig. 2.

(l) Ruysch. th. 2. tab. 5. fig. & *.

lius longe nerveo-vasculosa diceretur: tunica hæc crassa satis constat substantia subtili, membranacea, densissima, cum tenuissimis quasi fibris diversimode valde intertextis, ubi aquæ imposita è, eam imbibit, & expansa subtilem lanam refert, sic in hydropicis & leuco phlegmaticis aliquando, plus minus fero distenta reperitur; flatu facile distenditur & cellulosa apparet. per raram hujus membranæ telam sive texturam vasa numerosissima & miris ramificationibus decurrunt, unde plurimi dein minores rami ad super incumbentem musculosam, sed præsertim ad interiorem villosam deducuntur, hinc jure merito nerveo-vasculosa vocari potest, per quam veluti basin cujuscunque generis vasa, arteriosa, venosa, nervi &c. decurrunt.

In interiori hujus tunicæ nerveæ parte, qua villosam spectat, ponuntur parva quædam corpuscula, rotunda, ovalia, glandulas vocant, suntque vel solitariae, hoc est, hic illie sparsim positæ, vel confertæ, ubi multæ juxta se invicem ponuntur, maxime circa utrumque ventriculi orificium; singulæ habent suum folliculum, unde ductus excretorius, cujus orificium ad membranam internam pater. Glandulæ hæc cum ætate valde decrescunt, quemadmodum pleræque in corpore humano, hinc in infantibus potissimum reperiuntur, & in hominibus raro tam frequentes apparent quam in animalibus. Munus harum glandularum est secernere humorem lentiores, mucosum, qui folliculis harum collectum per emissaria ex loculis in cavum ventriculi exprimitur (m).

Ex hac membrana nervea, portiones quædam sese demittunt versus interiorem ventriculi superficiem, vocantur valvulæ, suntque laxæ, pendulæ membranæ, ac totidem veræ propaggines hujus tunicæ, quæ membrana interna villosa obducuntur. valvulæ hæc faciunt superficiem internam non esse levem, sed ubique quasi interstinctam, unde major ingestorum remora &c. (n). Deinde superficiem hujus membranæ valde augent, hinc vasa cujuscunque generis, arteriosa, venosa facilius

(m) Boerh. Inst. Med. §. 77.

(n) Boerh. Inst. Med. §. 77.

lius & majori copia ad membranam internam paterè possunt in suis villis. Denique contracta ventriculi tunica musculari, valvulae hae altius assurgunt, majores fiunt, sicque internam ventriculi capacitatem minuere possunt.

§. XII Tertia ventriculi tunica, ab interioribus numerando carnosae sive muscularis vocatur ideo, quod ex variis fibrarum seriebus componatur. Prima ejus series constat ex fibris orbicularibus vel spiralibus, quae ab orificio ventriculi superiori progressae, cavum ejus exterius circum ambiunt, donec ad pylorum desinant; hae ubi agunt, ventriculum in latitudine sua contrahunt. Fibræ hae observantur tenuiores ad oesophagum, crassissimæ in ventriculi medio, omnium autem tenuissimæ ad pylorum, hinc contrahentes se successive formant motum quasi vermicularem (o) ab oesophago versus pylorum, qui dein per intestina continuatur. Secunda series est fibrarum longitudinalium, vel potius quæ a sinistra ventriculi parte versus dextram oblique descendentes ad fundum ejus concurrunt; hae ubi agunt, fundum ventriculi ad dorsum ejus, & os superius oblique contrahunt, hinc longitudinem ejus minuunt.

Tertia fibrarum series fere ex rectis fibris constat, quæ parallelo ad longitudinem itinere utrumque ventriculi orificium amplexæ, per dorsum ejus decurrunt, ibique uniuntur, hinc vacui ventriculi orificia ad se invicem adducunt, pleni vero, superius claudunt, inferius valde constringunt, utpote quæ resistunt nimiae ventriculi expansioni, qua etiam orificia a se invicem disjunguntur.

§. XIII. Has denique tres descriptas ventriculi tunicas una communis membrana investit, quæ est propago peritonæi, quod abdominis viscera in se comprehendit. Oesophagus enim, ubi statim sub diaphragmate expandens se ab it in ventriculum, simul secum sumit membranam internam diaphragmatis, hoc est peritonæalem: hæc itaque totum ventriculum complectitur, & membranam ejus externam facit, donec ea-

dem

(o) Wepfer. hist. cicut. aq. pag. 112.

dem membrana a fundo ventriculi rursus procedens, facit membranam omenti, mutata scilicet parum sua fabrica, nam nullo modo tam densa ac crassa est quam ipsum peritonæum. Hæc itaque membrana fibras musculosas tunicæ carneæ investiens eas firmat & coercet, hinc robur addit, ac limites externas ventriculo ponit. Deinde viscera abdominalia ligat inter se, & in loco suo retinet, quod non ita fieri poterat ope vasorum vel nervorum, quæ certe huic operi destinata non sunt.

§. XIV. Inter hanc externam tunicam a peritonæo datam, & subjectam carnosam alia adhuc habetur membrana cellulosa, & a Celeb. suo inventore Ruyschio, Ruyschiana dicta, quæ proprie est substantia quædam cellulosa has binas membranas arcte satis inter se connectens, quod etiam in aliis corporis partibus obtinere videmus, & vel in obesis, nunquam pingue continet. Sed hæc de membranis dicta sufficiant.

§. XV. Vasa ventriculi jam nobis considerata veniunt, quæ copiosissima per hoc viscus mirabili decursu distribuuntur. Sed longe diversæ hic sunt indolis quam in aliis corporis partibus, non enim unus arteriæ truncus ramos suos per ventriculi corpus distribuit, sed diversis in locis diversos arteriarum truncos accipit; a superiore enim parte secundus cœliacæ ramus per totam superiorem ventriculi regionem ubique disseminatur, indeque arteria Epigastrica appellatur, (p) ab inferiore vero & lateribus, tres alias ubique per corpus suum dispersas habet arterias, Gastricas dictas, omnes ex arteria cœliaca oriundas, quæ ipsa, mox sub diaphragmate, paulo supra mesentericam ex aorta enascitur. Vasa hæc ventriculi corpus ingressa ramis suis potissimum disseminantur per tunicam ejus secundam ab interioribus numerando, hinc nerveo vasculosam dictam, unde ramuli ad superincumbentem musculosam derivantur, plurimi tamen ad membranam internam quasi abscissi patent, humoremque tenuem Medicis gastricum dictum constituunt, ut Celeberrimus Ruyschius per injectiones suas demonstravit.

Sed

(p) Louw. Anat. Cord. cap. 5.

Sed rogat forte quispiam, cui bono hic tot arteriæ? respondeo, quia ventriculus quando cibis repletus & distentus est, duplo quandoque capacior est quam si depletus, hinc si unus tantum fuisset arteriæ truncus, in nimia ventriculi expansione si forte comprimeretur, tota ventriculi actio turbata fuisset, magno certe sanitatis incommodo, cui malo provida natura pluribus arteriarum truncis prospexit pulcherrime.

Dein arteriæ hic tam copiosæ & mirifice implicitæ calidum quasi fomentum ventriculo præbent, nam nulla fere pars corporis calidior, sed & nusquam magis requirebatur, quia sæpissime per ingestos cibos potus aëremque etiam frigidiorē refrigeratur.

§. XVI. Venæ porro descriptis arteriis ubique comites videntur tot origines habere, quot arteriæ habent fines, minimis enim ostiolis in ipsum ventriculi cavum hiantibus ortæ, sensim sensimque concurrentes majores fiunt, donec tandem, ut arteriæ, in plures truncos collectæ, in venam portarum terminantur. Venæ hæ quoniam subtilissimos humores ex ventriculo resorbent, sicque ad hepar ducunt, forte colligi posset, an non etiam crudus humor deferatur ad hepar? quod certe ex hoc ratiocinio probabile: sed forte minus crudi humores hi dicendi sunt, quia cibi in ventriculo jam multum assimilantur, & maxima quantitas humorum nostrorum ibi secernatur. (q) Similiter patet hinc, quam falsa sit eorum opinio, qui putant lienem fermentum acidum pro ventriculo elaborare ad faciliorem scilicet digestionem, idque ad eum ducere per venas inter eum ac ventriculum fitas, vulgo dictas vasa brevia, cui certe sententiæ tota sanguinis circulatio, & accuratius partium illarum examen contrariatur, valvulæ quippe venarum hoc impediunt, ut Celeberrimus Louwerus (r) pulchre ostendit.

§. XVII. Nervi copiosi & insignes ad ventriculum deducuntur,

(q) Boerh. Inst. Med. §. 78.

(r) Hist. Cord. cap. 5.

cuntur, præsertim ab octavo pari, quod vagum dicitur; ejus trunci postquam in itinere laryngi, pharyngi, cordi, pulmoni & vicinis partibus ramos suos impertivere, juxta œsophagi latera descendentes ventriculum ingrediuntur, per cujus substantiam numerosissimis ramis, præsertim circa orificium ejus sinistrum, (s) sese dispergunt, totique in hoc viscere absumuntur. Nervi tam copiosi hic positi non tantum ad motum fibrarum muscularium ventriculi, quæ non videntur tam magnæ ac validæ, ut tot nervis pro motu indigeant, hinc, cum nullus a ventriculo redit, probabile est, etiam suos subtilissimos humores in ventriculi cavum in fundere. Porro nervi hi sensum habent exquisitissimum, quem Celeb. Rnyschius (t) papillis nerveis in tunica villosa ventriculi humani a se detectis adscribendum censuit, à quibus irritatis appetitus seu fames, vel & contra nausea & vomitus excitantur.

§. XVIII. Lymphatica vasa in superiore ventriculi parte Celeberrimus Nuckius (v) observavit, quæ lympham suam tribus quatuorve glandulis minoribus medio loco inter binâ orificia locatis tradebant, ut ex illis in ductum thoracicum transferatur.

Idem egregius vir ventriculi fundum similibus glandulis oblitum vidit, quarum tamen rivuli aquosi detecti nondum sunt, quamvis procul dubio & ibidem adsint.

§. XIX. Vidimus, L. B. hucusque anatomicam tantum ventriculi descriptionem, restat porro ut explicemus, in quem usum provida natura nobile hoc viscus ita fabricavit, sed cum ad ejus actionem tot ac tam diversa concurrant auxilia, ut confusio vitetur erit necesse in classes quasdam redigere. 1°. Itaque considerabimus ventriculum quatenus est vas excipiens & remorans deglutita. 2°. quatenus aërem cæterosque jugiter affluentes humores iis admiscet. 3°. Quid valeat actio

ven.

(s) Heyst. Compr anat. pag. 209.

(t) Advers. anat. dec. 3a. pag. 34.

(v) Adenogr. Curios. pag. 145.

ventriculi muscularis. 4°. Quid circum jacentium partium calor afferat. 5°. Denique quid efficiat compressio assidua & reciproca peritonæi per diaphragma & abdominales musculos.

§. XX Ventriculus vacuus orificia sua bina ad superiora directa habet, reliquum vero pendet deorsum, vocatur ejus fundus; hoc tempore ineptior est ad emittendum quid per pylorum, quia nimirum angulum facit cum duodeno intestino, sed contra aptissimus est ad excipienda alimenta, quæ sanus famelicus homo hocce præsertim tempore assumit. Notandum hic est, quod homo tantum utatur cibus maturis, vel arte culinaria præparatis, hinc tenerioribus & molliusculis, qui deinde ulterius manducatione conteruntur & attenuantur, una cum aëre & magna salivæ copia in pastam subiguntur, tandemque reliquis oris humoribus imprægnati, & lubrici facti in ventriculum calidum & humidum depelluntur. Sed cibi & potus tali loco clauso excepti suam sequerentur indolem, sic pro diversitate materiæ fermentescere inciperent vel putrescere, utroque vero modo mire mutari, vel in acescentem vel in alcalescentem, vel si fuerint oleosa, & farinosa cruda, in rancidam & glutinosam massam, quod languidi & inertes sæpissime cum tot tantisque morborum calamitatibus experiuntur.

Notum autem est utpote experimentis confirmatum, pleraque vegetabilia paucis exceptis, ut alliis, nasturtio raphanis, sinapi &c. loco tam calido & humido, quam noster est ventriculus, retenta intra breve temporis spacium fermentescere & in acidum mutari, quod odore & sapore facile se manifestabit. Sumatur v gr. uncia 1 farinæ avenæ vel similis, cum duabus tribusve aquæ unciis pinsendo redigatur in pastam, quæ, si recondatur in vase chemico, conciliando interim calorem sani corporis calori analogum, intra tres horas incipiet rarefcere, tumere, moveri bullas emittere & acidum spirare ac sapere, hæcque actio chemicis fermentatio dicitur, quæ, licet in ventriculo nostro inchoetur, non tamen perfecte absolvitur, nam certas per causas & actiones deinceps

exponendas impeditur. Quod autem similis fermentatio in ventriculo nostro inchoetur, sequenti constabit experimento; sumat quis v. gr. unciam 1 præcedentis pastæ farinaceæ non fermentatæ, & ventriculo vacuo assumat, intra horam unam alteramve ructus acidus ex ventriculo emittet, ac si acetum assumsisset, manifesto indicio fermentationem ibi fieri.

Si vero animalium partes, (solo forte lacte herbaceo excepto) vel plantæ supra expositæ, quæ materia scatent alcallescente, assumptæ fuerint, brevi inciperent pro sua indole putrescere, & resolverentur in fætidam, volatilem, acrem, & cadaverosam materiem, tabum dictum, nisi bona natura per causas mox exponendas hoc prohibuisset. Est enim de natura omnium partium ex animalibus desumptarum (ossibus forte exceptis) quod, si in calore nostri corporis imo longe minori ponantur, (calor enim æstivus nunquam tantus est quam calor nostri corporis, ut docent thermometra; adde quod nullum animal (v) huc usque cognitum calorem nostri corporis calori convenientem absque vitæ dispendio ferre possit) brevi putrescant: fumantur v. gr. aliquot unciae sanguinis humani recentis, immittantur vasi chemico clauso, huic concilietur calor nonaginta duorum, trium, quatuor graduum thermometri Fahrenheitiani, qualis est in nostro corpore sano, intra breve tempus massa incipiet rarefcere, spumescere, flatulentiam emittere. & exspirare odorem cadaverosum & horrendam fracedinem, idque semper constanti naturæ lege, adeo, ut ex centum forte libris sanguinis vel urinx hominis sani ne guttam acidi elicere valeat princeps in arte chemicus, sed semper in alcali foetidum acre transeat. Si ergo dictæ partes in ventriculo nostro suam sequerentur naturam, neque in nostram assimilarentur, cogitate L. B., quanta non nasceretur putridi in corpore nostro collectio: unde brevi horrenda morborum acutorum caterva.

Si

(v) Boerh. Elem. Chem. pag. 192.

Si autem oleosa pingua ventriculo nostro excepta fuerint, neque per causas deinceps exponendas in nostram mutarentur naturam, sed suum sequerentur genium, brevi rancorem inducerent odore suo fracidissimo, sapore intolerabili calidissimo facile distinguendum. Manifestissimum est experimentum in oleo amygdalarum dulcium recenter presso, quid enim blandius & ad gustum mollius haberi potest? idem tamen oleum æstivo tempore paucas per horas asservatum adeo acre & rodens evadit, ut nemo mortalium ferre possit, & partibus nostri corporis sanis applicatum inflammationem imo excoriationem brevi inducat.

Chemici præsertim hoc modo considerarunt ventriculum, quatenus vas, in quo vegetabilia acescentia fermentescerent, animalia putrescerent, oleosa pingua rancescerent, farinosa cruda (præsertim in languore & inertia ventriculi) in gluten abirent. Mechanici contra hæc neglexerunt volentes totam ventriculi actionem explicare ex sola trituratione, & præsertim pressione vicinarum partium externa in ventriculum quasi intra prælum, alii contra alias foverunt sententias, singuli certe dixeré aliquid, nulli autem ventriculi actionem omni ex parte explicuerunt. Videamus itaque quibus mediis sapientissimus rerum opifex usus fuit, ut hætenus descripta incommoda superare, & alimenta in nostram naturam convertere possimus.

§. XXI. Primo itaque considerandus venit humor gastricus dictus, ex sanguine purissimo aortæ, per arteriæ celiacæ ramos subtilissimos magna satis copia ventriculo suppeditatus, hinc tenuis valde, pellucidus, spiritibus dives, ad gustum leniter & occulte quasi falsus, nullo modo acidus, nec alcalinus, ne quidem in rapacissimis, & maxime famelicis animalibus, ubi acrior paulo est, ut certis experimentis in aula hetrusca captis constitit. Porro accedit huc humor quidam lentior, mucosus magis, qui glandulis secretus, ex earum folliculis per emissaria in cavum ventriculi exprimitur. facile puto apparet, humoribus his cibos macerari ac dilui debere, sed quum forte soli non sufficiant, videamus quinam confluant, ac defectum

suppleant. Inter eos primum locum sibi vindicat saliva, quæ ex fontibus salivalibus circa os sitis, continuo intra ventriculum deglutitur, & magna quidem copia, ita ut intra duodecim horarum spacium ad integram libram colligi possit. (w). humor hic adeo salubris, imo necessaria corpori nostro est, ut defectus ejus multa mala producat, quod experiuntur illi, qui eam sæpissime exspuunt, quales præcipui sunt, qui nimium indulgent fumis, usitatissimæ hodie herbæ nicotianæ sive tabaci, vel qui masticatoriis ex Mastiche, radice pyretri, tabaco &c. confectis abutuntur; fiunt enim sensim cibos averfantes, eosque difficile concoquentes, donec tandem languidi penitus emaciantur ob perpetuam sc. salivæ rejectionem, quem admodum hoc sæpissime manifestissimis exemplis constitit. Secundo accedit huc humor spissior ex glandulis sive cryptis in ore, palato, faucibus, æstophago secretus, & tertio potus assumptus huc referri potest.

Quisquis itaque considerat cibos tantæ humorum nostrorum copię, ut & reliquiis prioris alimenti intime misceri, eamque miscelam ope aeris, & loci calore magis in actum duci, videbit facile, effectus hic præstitos esse macerare, diluere, intumorem attolere, (ut quisque hora una vel altera post pastum facile experitur, præsertim quando nimium assumsit,) levem fermentationem, putrefactionem aut rancescens inchoare, unde cibi attenuati, copiosa humorum nostrorum permutatione magis assimilantur, sicque meatibus nostris permeandis apti redduntur: ponamus v. gr. hominem uno die libram unam panis comedere, & libras duas liquoris bibere, jam forte dimidium hujus manebit in vasis, reliquum per alvum excernet, sicque tantum libram unam & dimidiam boni coctique chyli conficiet; sed quanta copia liquoris gastrici, salivæ, muci oris, æstophagi massæ huic non admiscetur, forte latera ventriculi plus humoris secernunt, quam omnis chylus, qui sc. ex solis cibis oritur, hinc certe magna debet fieri assimilatio.

tio, quia chylus sic pro maxima sua parte ex humoribus nostris inquilinis constat.

Sed jure forsan quis dicet, ex hactenus propositis intelligo quidem, quomodo cibi teneriores & molliusculi in ventriculo dissolvantur, sed non video, qua ratione cibi solidiores neque admodum mansi, (ut videmus in famelicis, qui cibos vix manducant, sed frustulatim fere tantum avide deglutiunt,) feliciter digeri & in chylum converti possint; age itaque! inquiramus in causas saluberrimæ hujus rei, & quousque hæc vera sit, & ventriculi fabricam accuratius consideranti apparebit facile, musculosam ipsius structuram non levem operam huic rei contribuere.

§. XXII. Tunicam ventriculi carnosam five musculosam ex tribus præsertim fibrarum seriebus constare supra exposuimus, quæ ubi simul agunt, contenta ventriculum distendentia, adeo prius macerata & diluta, valide satis premunt, motu successivo quasi vermiculari omnia inter se miscent & attenuant, quia sic ne per momentum quidem partes ciborum in eodem manent contactu, hinc atteruntur ad se invicem.

In robustissimis autem ventriculis fere tantum apparent fibræ orbiculares, quæ motu peristaltico à superioribus ad inferiora agunt, sicque chyli partes fluidiores & magis elaboratas versus pylorum propellunt, quæ dein lente, parva copia simul, per pylori orificium arctatum satis in duodenum intestinum expelluntur. Ut autem expulsio hæc fiat facilior, ventriculus cibus distentus situm suum mirifice mutat, nimirum fundus ejus gibbus in anteriora vertitur, pro ut magis vel minus fuerit distentus, hoc pulchre apparet in apertis hominibus, qui paulo ante mortem multum commederunt, vel, quia hoc rarius accidit, in situ suo aëre distendatur in cadavere, tum fundus ejus pulchre in anteriora assurgit, sicque melius accommodat sese ad egerendos cibos per pylorum, via enim magis recta fit; adde quod sic simul angulum utcumque faciat cum œsophago, qui facilem ciborum regressum superiora versus impedit, hinc deorsum solummodo determinantur ingesta. Porro si his actionibus jungamus circum jacentium partium

calorem, arteriarum ictus & vibrationes, dein pressionem reciprocam peritonæi per diaphragma & abdominales musculos, credo habituri sumus omnia auxilia, quæ conspirant ad ciborum concoctionem in ventriculo absolvendam.

§. XXIII. ventriculus itaque à provida natura illum in corpore situm acquisivit, quo partes vicinæ æquabilem maxime & solutioni ciborum aptissimum ei præbent calorem; à parte enim superiori immediate fere cordi supponitur, intercedente tantum pericardio & diaphragmate, à latere dextro ingens hepatis ei adjacet, à sinistro vero lien, sub fundo ejus pancreas & mesenterium ponuntur, à posteriore denique ejus parte arteriarum maxima aorta decurrit, quæ partes sanguine abundant, sicque in centro quasi caloris hæret, qui summopere hic requiritur, quod Medicorum Principi Hippocrati jam suo tempore fuit notissimum, dum dixit, (x). *ventres hyeme & vere natura sunt calidissimi.* & quia digestio tum felicitior & citior, *iis temporibus etiam plura alimenta exhibenda sunt, innatum enim calorem majorem habent.* Nutrimento igitur copiosiore indigent. Sed dicet forsitan quispiam, si calor tantopere necessarius sit ad faciliorem ciborum digestionem, quomodo ergo explicari potest illud prænomenon, nimirum, qui fiat, ut in morbis calidis, ubi totum corpus æstuat, veluti in febribus ardentibus, ciborum concoctio infelicissima sit, imo tota sæpe depravetur? respondeo, ad hoc opus naturalem tantum & corpori nostro convenientem requiri calorem, qui solventissimus est, cum contra major calor coagulet. Pulcherrimum est experimentum in ovo gallinaceo semine maris non imprægnato, ponatur nimirum sub gallina incubante, cujus calor maxime convenit cum calore nostri corporis, & albumen ejus incipiet ita attenuari ac dissolvi, ut intra viginti & unum dies per testam exhalaverit totum. Si autem simile ovum in aquam fere ebullientem immergatur mox coagulatur, & concrescit in unam massam nulla arte deinceps, nisi sola forte putrefactione dissolven-

(x) Sect. I. aph. 15.

solvendam, hinc puto constat, certum tantum caloris gradum hic requiri.

§. XXIV. Sed præter calorem quam arteriæ afferunt, etiam earum ictus considerandi sunt; ex Anatomicis enim notum est, substantiæ ventriculi, diaphragmatis & vicinarum partium innumeras innatas esse arterias, quæ omnes continuo & reciproco gaudent motu & forti quidem, cordi enim proxime hic apponuntur, hinc facile eum communicant cibis in ventriculo proxime apposis, qui innumeris & alternis ictibus perpetuo exponuntur, quum in systole arteriarum patiuntur quasi diastolen, in diastole vero systolen, hinc etiam ciborum miscela & attenuatio fiet accuratior. Aörtæ suppositæ violentæ vibrationes certe multum huc contribuent, nam valida hujus arteriæ est pulsatio: hoc patet si in animali vivo aperto arripiatur, vix manu tam fortiter comprimi potest, quin eam reprimat & quasi elevet. Jam vero subtus spinæ ossæ apponitur, quæ resistit, hinc impetus ejus præsertim in ventriculum agit.

§. XXV. Ultimo tandem exponendum restat, quid boni ventriculus percipiat per diaphragma & abdominales musculos, quorum accuratissimam descriptionem qui desiderat, eam perquirat in elaboratissimo certe libro historia musculorum Viri Celeberrimi ac Principis Anatomici BERNARDI SIEGFRIED ALBINI, præceptoris mei fidelissimi, omni amore & obsequio, dum vita manet, colendi, celebrandi. Unde tota describenda foret, adeoque brevitati studens, L. B., Impetrata Venia eo relego. Facile puto attendenti constabit, musculos hos ciborum comminutioni & expulsionioni multum conferre. In omni enim inspiratione diaphragma deorsum pelli, certum est, hinc simul tum viscera abdominis, Hepar, ventriculus deorsum protruduntur, sed eodem tempore omne punctum abdominis reprimat, sic partes hæ præmuntur quasi intra prælum. In expiratione vero muscoli abdominales premunt diaphragma sursum, hinc rursus fit pressio in hæc viscera medio loco posita, unde tam in inspiratione quam in expiratione fortis fit pressio, tempore vero intermedio fit relaxatio,

tio. hoc autem unusquisque clare experiri potest, modo infligat parvum vulnusculum abdomini vivi animalis, sic ut peritonæum solum illæsum maneat, tum immittat digitum exploratorium inter peritonæum & musculos, & clare percipiet tam in inspiratione quam in expiratione digitum fortiter comprimi, intermedio vero tempore relaxari, qui motus maxime dissolvens est, & æquabilem solidorum cum fluidis miscelam summopere promovet: hinc illi qui fortiter respirant & ventriculum valde concutiunt, ut qui corpus exercent, felicius longe digerunt, quam qui inertes vitam sedentariam degunt.

Porro per eandem pressionem reliquæ ciborum duriores, & magis tenaces quam ut in ventriculo nostro dissolvi possint, (quales multæ sunt, ut visuri sumus,) per Pylorum expelluntur, determinante exitum versus inferiora actione, ut videtur, ventriculi musculari

§. XXVI. Si jam supputemus omnes expositas causas unita opera conspirantes in materiam satis mollem solubilemque fermentatione, putrefactione aut rancedine sponte mutabilem, concludemus facile sequentes inde necessario sequi debere effectus; cibos nempe in ventriculum delatos macerari, dilui, mobilia fluidis misceri, sicque meatibus & humoribus nostris adaptari, & quod mirum, cineritium omnes induere colorem, licet enim cibi cujuscumque coloris assumpti fuerint, ut v. gr. beta ruberrima, panis ater &c., semper chylus inde confectus erit cineritii coloris, & blandi saporis, pauca si excipiantur, unus enim cibus alio citius hæc subit mutationes, quemadmodum hoc Johannes Walæus captis suis experimentis pulcherrime demonstravit.

Subtiliora tum sensim pressione a crassioribus separantur, & qua data porta ventriculo exprimuntur. Tenaciora autem & a priore opere residua inter rugas assurgentes ventriculi hærentia, eadem rursus patiuntur, eademque exhibent phænomena, ut priora, hinc fibræ, membranæ, tendines, cartilagine, ossa &c. animalium, vegetantium acini, pelles, filamenta non conteruntur in ventriculo, sed exsucca tantum redduntur, donec ultimo ventriculo expellantur forma cohærente adhucdum.

Ro.

Robustissimus enim homo si v. gr. baccas uvarum vel ribesiorum integras deglutiverit, non comminuet eas in ventriculo, sed forte altero die maceratas earum pelles, integras plane (honore aurium dixerim) in fœcibus suis alvinis deponet, tantum abest, ut in ventriculo eas conterere possit.

Sed dicunt quidam, canes ossa comminuere in ventriculo, quibus solis pascuntur, ut reddant famosum illud album græcum dictum in officinis: sed voracissimum hoc animal, ut medullam inde extricet, dentibus suis minutim confringit & corradit ossa, partesque corrasas deglutit, quæ in ventriculo medulla sua orbantur, & scybala duriora ossæa, compacta ad se invicem, per alvum deponit, eadem forma, qua devoraverat. Sicque puto evictum, ventriculum hujusmodi duriora ac tenaciora comminuere non posse.

Facile itaque concludemus, veram quasi emulsionis speciem in ventriculo nostro fieri, (perfecte, liceat hocce exemplo uti, ut Pharmacopæos facere videmus) qua succi ex cibis vegetabilibus, animalibusque expressi humoribus nostris affunduntur, accurate & intime miscentur, donec homogeneous nostrisque humoribus simillimus liquor inde nascatur, cujus subtilissimæ particulæ, fistulis venosis ubique in ore œsophago, ventriculo hiantibus, resorptæ, lymphatica vasa sensim ingrediuntur, mox per venas sanguineas in cor deferuntur, ex corde vero ope arteriarum in omnes corporis partes distributæ subitam adeo languidarum ex inedia virium faciunt restaurationem.

Manifesto hoc videmus in defatigatis maxime & famelicis hominibus, qui animo fere derelicti, modo cibum quendam refocillantem, v. gr. panem biscoctum Vino rhenano maceratum acquirere & ore manducare possint, momento citius fere reficiuntur & collapsas corporis vires recuperant.

Reliqua autem & maxima chyli portio, ventriculi actiones diu satis experta, per pylori orificium in Intestina tenuia propellitur, quibus ulterius elaborandam, nostrisque humoribus magis magisque assimilandam relinquimus. Sicque finem ego

disertationi huic impono. bene gnarus, plura superesse, quæ forte hisce addi debuerant. Si vero, L. B. in hisce paginis non novi, sed boni quid, inveneritis, est, quod gaudeam, sin minus, defectus supplere, & commissos meos errores modestè corrigere ne dedignemini.

T A N T U M.



COROLLARIA.

I.

Ventriculus commodissime statim sub diaphragmate locatur.

II.

In nimia ventriculi infarctione, vomitorium fortius dare prudentiae non est.

III.

Inter ea, quae sanitati tuendae laudantur, jejunium nonnunquam interpositum valde videtur prodesse.

IV.

Acidum ventriculo naturale nullum datur.

V.

Neque a liene ipsi suppeditatur.

VI.

Arteriarum ictus & vibrationes concoctionem promovent.

VII.

Digestio in ventriculo, non sola maceratione, neque solo calore, neque sola actione ventriculi musculari, aut pressione vicinarum partium externa, sed omnibus his simul conspirantibus, peragitur.

VIII.

Neque vel his tamen duriora, ac tenaciora dissolvere potest.

DOCTISSIMO AC ORNATISSIMO

VIRO JUVENI

PETRO IMCHOOR,

*Quum Publica Differtatione habita Medicinæ Doctor
Crearetur.*

Annales per quinque mihi, quibus ambulat orbem,
Circuitus solis, Petre, sodalis eras.
Nos tenuit studium, quo non jucundius, ambos
Phæbeum, tenuit nos simul una domus.
Ambobus moderata dedit totidemque per annos
Mensa dapes, libuit queis satiare famem.
Interdum juvit, quod dat lenimina curis,
Otia si tolerant, imposuisse merum.
Tunc hilares Bacchi Comites, non jurgia, risus
Nobiscum fuerant verba jocosa, sales.
Mens habet una duos. O quid dulcissime rerum
Vellere membra velis? quæ sociata diu.
Si valeas, qui jam minitantur, hiatibus obsta.
Obsta fissuræ, quæ metuenda, novæ.
Tædet, amicorum quod divellatur ab uno
Corpus, & in partes quod resecetur idem.
Amplius hæc nunquam, aut raro junguntur cædem.
Diversas terras membra revulsa petunt.
Unus adit fuscus, quo non rediturus, ad Indos.
Oppositas Gentes alter adire cupit.
Germanos, Italos, Gallosque videre Britannos
Hispanos populos unus & alter amat.
Huncce tenet patriæ tellus in litore summa,
Illum vel medius, vel propria loca;
Vix aliquis, comitem modo de tot millibus unum,
Gymnasio licito, qui retinebit, erit.

Vir

Vix alicui socium, sopsiæ quem Academia nutritrix
Junxit, in extrema cingere morte datur.
Hoc doleo, casteque queror, mentemque fatigat,
Tam varias socios diffociare plagas.
Quo vix scire potest aliquis, num vivat amicus;
An valeat; fatis succubuitve suus.
Hoc doleo, quamvis frustra, tamen arctius hæret,
Avelli facile nec finit illud idem.
Mi Dilecte comes, sic vincula nostra resolvi
Ne patiare, vicens usque superfit amor,
Vivat amor noster, donec nos vivimus ipsi.
Accrescens omni tempore major erit.
Tu felix, hodie titulos imitare superbos
Doctoris, Cathedra laude decorus abi.
Perge tuo reliquas, Hominis quas machina, partes,
Possidet, ut stomachi, sic referare stylo.
Tum partes, fabricam, positum noscemus & usum.
Functio læsa quibus morbus, & arma patent.
Tranquillam vitam tuto sic tramite duces.
Usque Laboranti Pharmaca fausta dabis.
Gratulor æterna cinctos jam fronde capillos
Meque nimis subito deseruisse queror.
Tu tamen I felix; vigeat, qua sede moraris,
Urbs, Obex proprio flumine Rotta sonans.
Jam se Mosa pater, cives, castique parentes,
Te reditu fratres exhilarantque Soror.
Hi tecum valeant. Valeas, ut & ipse valere
Possim. Sæpe mihi scribe, Vale, Valeo.

ABR. TERSIER, Med. Candid.

ERUDITISSIMO ET ORNATISSIMO
VIRO JUVENI
PETRO IMCHOR,
CUM POST PUBLICAM
DE FABRICA ET USU VENTRICULI.

Habitam Dissertationem.

Medicorum ordini adscriberetur.

Ergone tempus adest, quo me, dilecte sodalis,
Deseris? heu raro junctus amore mihi!
Deserit heu tandem! querulis nec vocibus aurem
Præbet, sed constans Petrus abire parat:
Dulce sodalitium nostrum disjungere Mosa
Invide non dubitas, quod bene junxit amor;
Quid frustra repeto questus? quid tristitia solvo.
Ora? negabit Ovans Musa lugubre melos.
Palladis ad templum jam lætus tendit amicus;
Cum claudat dextrum Divus Apollo latus.
Disserit hic doctus, doctorum scripta virorum
Exponit, medicæ lumina clara rei;
Ventriculi vires fabricamque hic laudat, & usum
Ordine distincto, perspicuoque docet.
Ingenium cernit vegetum Latonia Proles,
Miratur dotes casta Minerva viri.
Interea Phæbus caro sic dixit alumno,
Annuit & Votis Pallas amica Dei.
Ingenii jam, PETRE, tui documenta sagacis
Depromis, cunctis conspicienda Diis;

En tibi, Phæbus ait, Divinam porrigo Dextram,
Hac nitens Mortis tristia fata fuges;
En tibi frondentem Laurum, mi sancte sacerdos,
Quæ juvenile caput cinxerat ante meum:
Prospera fata tibi juro, neque fallere numen
Audebis Livor despiciende Diis.
Prospera cuncta tibi cedent, modo Numen adores,
Tuque salus, Dixit, semper adesto Viro.
Hic tacuit Titan, Juveni vultuque sereno
Postremum dixit, candide PETRE, vale.
Gratulor ergo tibi, Proles dilecta Parentum,
Accipe lætitiæ jam quoque signa meæ;
Gratulor, & repeto, præclaros PETRE Labores,
Jam merito doctos interhabende Viros.
Incipe nunc felix miseris afferre levamen,
Exigit hoc virtus, Vir generose, tua:
Sicque Machæonia clarescat nomen in arte,
Dum constans ægris Pharmaca tuta dabis.
Divitiis te Juno beet, Cytherea puellam
Adjungat pulchram, gaudia summa tori.
Quod superest, Superi, Votum supplete benigni!
Sicque memor vivas, usque beate, mei.

LEONARDUS PATYN,

MED. STUD.

